

**Disputatio medica inauguralis, quaedam de febre intermittente complectens / [Edward Johnson].**

**Contributors**

Johnson, Edward, 1785-1862.

**Publication/Creation**

Edinburgh : C. Stewart, 1815]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dc627enr>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

13

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

FEBRE INTERMITTENTE

COMPLECTENS.

EDVARDO JOHNSON AUCTORE.

PRAEFANDA.

QUANQUAM Febris Intermittens multo rariis nunc quam olim gentes exultas et ad humanitatem redactas populatur; quibus nimurum stagna pestifera et paludes, noxa hujusce mali genetrix, agris colendis et fossis extuctis desiccari solent; res est tamen notissima idem in multis terris adhuc penè continenter grassari, ob locorum coelique via, aliasque causas arti nulli cessuras. Quae cum ita sint, quaedam de hac febre conscri-

A

Edinburgh  
C. Stewart 1815



bere in animo est: eoque potius hoc argumentum selegi, quod per annos octo, legionis militaris vigesimae octavae et trigesimae nonae medicus, eam comitatus, Suediam, Bataviam, Hispaniam, Lusitaniam, et Daniam viserim; et inter officia exequenda persaepe febre intermittente aegrotantes mihi curare, et non raro sanare contigit.

Hae febres raro Britannos nunc aggrediuntur, nisi equidem agrum Lincolnensem excipias, causae supra propositae penè eas alicubi deleverunt. Nec dubito quin victus aliturus, vestes laneae, et alia ejusmodi operam huc collocaverunt; quae bona, majoribus vix nota, seriùs ocyùs eas extinctura spero. Haec praefatus ad rem propositam nunc transibo.



## DE DEFINITIONE.

Febres Intermittentes ita a Culleno eximio definiuntur : “ Febres miasmate paludum or-“ tae, paroxysmis pluribus, apyrexia, saltem “ remissione evidente interposita, cum ex-“ acerbatione notabili, et plerumque cum hor-“ rore redeuntibus, constantes : paroxysmo “ quovis die unico tantum.”

Hisce subjicit, *Tertianas*, *Quartanas*, et *Quotidianas*.

*Tertiana* est febris intermittens cui “ pa-“ roxyymi similes intervallo quadraginta octo “ circiter horarum, accessionibus meridianis.”

Longe saepissime febris intermittens ter- tiana prodit ; certe nostrates aggressa, multo leviorem perniciem secum afferre consuevit,

duabus alteris. Lex certior ejus accessiones et decessiones regit: facilius salute mutatur, et minus artis medicae auxiliis obnititur; quippe cui viscera integra, perraro vitiantur.

*Quartana* est febris intermittens cui “paroxysmi similes intervallo septuaginta duarum circiter horarum, accessionibus post meridianis.”

Quartanae accessiones saeviores et diutiùs trahere quam tertianae, inter medicinam faciendam comperi. Eidem porro frequentius jecur ampliatur et indurescit; ideoque interdum venter diro hydrope intumescit. Frigus quoque et horror, ineuntis accessionis propria, magis ingravescunt, et aegrius vincuntur.

*Quotidiana* est febris intermittens, cui “paroxysmi similes intervallo viginti quatuor circiter horarum, paroxysmis matutinis.”

Quotidianâ saepius quam quartanâ homines febricitant; potissimumque, qui terras sole torrido exustas accolunt. Rarius febrem intermittentem inter principia quotidianae formam sibi praeferre cognovi: quo perspecto, inducor qui credam hanc ad viscera abdominis vitiosa saepius opinione referendam esse.

Accessiones huic citius finiuntur, at vehementius saeviunt, et vires magis labefaciunt, et sumnum medici studium flagitant. Proximum est ut, hisce absolutis, notas accessionis exponam.

### DE SIGNIS.

Accessio in tres partes deducitur. Harum prima frigore et horrore praesertim; secunda, summo ardore; tertia, sudore, insigniuntur.

*Pars prima.* Accessio e languore animi et corporis summo, artibusque resolutis, incipit. Aeger oscitat, se jactat inquietus, et membra pandit. Paulo postea signum accedit, quod clarissime mali naturam testatur; nimirum, dorsum aegro frigere videtur, perinde quasi aqua gelida ei affunderetur. Dolent simul lumbi, et hominem moveri piget.

Vultus deinde pallet, et collabitur: purpurascunt labra.

Ungues nigricant, et summum corpus ubique extenuatur. Aeger ad intimam lectuli partem se recipit, artusque multum retrahit. Membra inhorrescunt et tremunt, quo fit ut dentes se invicem percutere audiantur; spiritus trahitur et emititur crebro et cum labore, et tam languide ut vix homo anhelare percipiatur; arteriae saliunt languide et cito. Urina redditia parca et diluta; non raro delirat aeger; cutis aspera inarescit; alvus tar-

da est. Cibi fastidiuntur, nec raro evomuntur.

*Pars secunda.* Haec pars accessionis coepisse solet e sensu ardoris cutem summam ubique permeantis: arteriae moventur valide et dure; vultus rubet et turget; cutis incalescit et aret; lingua sicca sordet et candet; aeger valde sitit. Caput graviter dolet, nec raro delirium torquet. Spiritus aliquanto expeditior fit; urina excernitur parca et rufa.

*Pars tertia.* Ardoribus tandem finitis, sudor profluere incipit; primo circa frontem et pectora; deinde sensim tota summa cutis madet; secernenda et excernenda omnia nunc demum secerni et excerni cooperunt; et actiones corporis interiores ad integritatem redeunt; viribus sane haud parum contritis. Sitis evanescit; lingua nitet; aeger cibos

iterum appetit; saepe alvus biliosa nunc le-  
niter fluit, et febris ex toto decidit.

### DE FINIBUS.

Febres intermitentes modo salute, modo  
morte, aliquando longis viscerum malis fini-  
untur. Si vires animi et corporis non valde  
prosternantur, noxae excitatrices tollantur,  
et medicus summâ ope nitatur, homo fere  
sanari poterit.

Interdum aeger, ineunte accessione con-  
fectus absumitur. At vero saepius, si febri-  
ens non salvus est futurus, aut jecur, aut  
lien, aut pancreas, aut haec omnia indures-  
cunt et amplificantur. Unde proventura,  
dirus hydrops, malus habitus et icterus infe-  
licem demum occidunt. Quinetiam aqua in-  
tercus occisura interdum has febres sequitur,

sanis visceribus, sanguini vitioso, et viribus lapsis tribuenda.

### DE DIAGNOSI.

Febres intermitentes signis tam propriis et evidentibus indicantur, ut vix aliquis rei medicae aliquanto peritior erret, aut eas pro alienis malis habeat. Operae tamen pretium judicavi paucis exponere, quantum et quo-usque febris intermittens hecticae distet.

Febris intermittens auris paludum pestiferis enascitur: *Hectica* vero, pure alove humore acri in corpore imbecillo resorpto. Haec porro illi et aliis febribus distat, eò quod “e morbo locali primario,” uti loquitur Cullenus, provenit. Huic quam illi actio cerebri et ventriculi multo minus turbatur et labefactatur. Quinetiam illi sudores, qui finitam accessionem comitantur, salutares, vel

‘critici’ sunt judicandi; huic contra nocentissimi, viribus fractis orti, easque plus trituri. Hujus binae accessiones quotidie prodeunt; illius unica in die nec semper quotidie. Huc accedunt alvus resoluta et animi injussu descendens; aqua pedum intercus, tabes, ungues adunci; fauces *aphthis* efflorescentes; quae mala febri hecticae propria, alteri vix contingunt.

### DE CAUSIS.

Causae, uti de continente sileatur, triplices esse videntur: nempe, 1<sup>mo</sup>, Quae corpus proclive reddunt, seu abditae; 2<sup>do</sup>, Quae febrem excitant; et, 3<sup>tio</sup>, Quae faciunt ut accessiones jamdiu fugatae renascantur.

I. *Causae proclivitatis.*—Quaecunque corpus aut animum solvunt, homines his febribus subeundis aptant. Hujusmodi sunt vic-

tus e tenuissimâ materiâ, parum alendo accommodatus, aut vix saluber. Fatigari eodem pertinet; ebrietas etiam quoniam valdè infirmat, opportunos reddit.

Usu didici infantes et pueros qui nondum annum duodecimum expleverint, prae adultis his febribus patere, et facillime omnium iis febricitare, noxâ excitatrice admotâ. Cujus rei plura exempla cognovi; et praesertim apud vulgus, in eâ Angliae parte ubi inter munera exequenda cum legione 39na habitarem. Ex his unum meminisse juvabit. Rusticus quidam, qui juxta oppidum Weymouth habitavit, octo infantum pater, rogavit ut ejus tabernam viserim; quò cum venerim, sex ejus natorum febre tertiana implicitos reperi. Noxas quae intulerint perscrutatus, eos victu exiguo et dilutissimo prius marcuisse; nihil enim habuerant, quo vescerentur, nisi paucillum panis, theae et lactis. Omnes ejus pagi incolae, his exceptis, febris intermitten-

tis integerrimi erant: at percontatus, eandem ibi subinde exardere solitam esse didici, ob agros nempe palustres, necdum desiccatos, vicinos.

Scire licet hunc pagum collem acclivem occupare, qui quingentos passus paludi marinae distat. Haec vero, decrescente aestu maris, subarescit. Denique nonnisi vulgus noxis plurimis debilitatricibus objectum, in hanc febrem incidit.

*De causis excitantibus.*—Quidam eo sunt hallucinati ut febrem intermittentem pestilentem judicaverint. Alii impulsui, quo luna humanum corpus regit, tribuerunt. Convenit nunc demum inter omnes fere medicos unicum noxam excitare; scilicet, auras pestiferas paludibus ortas.

Haec noxa vel levissima, modo corpus proclivius sit, febrem propositam accendere

valet. Si, quantulum aurae palustris potens sit hujus febris inferendae, et quamdiu eadem jam admota prius latitare quasi in corpore possit, quam febrem cieat, rite comperiremus, medici ut opinor, nunquam tot causas inanes finxissent.

Quid aut quale sit aura paludibus spirata parum hucusque innotuit. Quidem chemiae quam rei medicae peritiores eam gas hydrogenium sulphuratum, aut carbonatum, aut phosphoratum; quae halant sine dubio paludes.

Res est satis medicis nota, febres intermitentes potissimum vere et autumno grassari; nec obscura ratio. Tepor enim et humor vernalis, post hybernas pruinias facile istam auram late dispergunt; multoque potius aestus et pluviae autumni propria. Hac porro tempestate folia arboribus delapsa faciunt ut solum re herbosa putri superfluat.

Quo fit, ut autumnus febres intermittentes habeat longe pessimas, et exitiosissimas.

*De causis renovatricibus.* — Unica causa, quam supra proposui, has febres arcessit; complures vero eas fugatas reducunt, quae eas procreare nequeunt. Has quam brevissimo sermone memorabo.

Quaecunque faciunt, ut corpus frigeat, et inhorrescat, huc attinent; qualia sunt eurus, aquilo, coelum nubibus et imbris obscurum. Quanto quis saepius hanc febrem subierint, tanto leviore noxâ illatâ in eandem recidet. Novi homines, quos accessio repetit, frigidarii, in quod descensuri essent, timore excitata. Hoc persaepe, anno abhinc, mihi apud milites legionis cui medicus ministrarem, notare contigit.

Praefecti hujus legionis aestate milites bis

quaque hebdomada balnea aut mari se lavare cogunt.

Plures ex his nuper domum ab Hispania redierant, febre intermitte pene confecti. Quos in mare descensuros protenus accessiones repetebant.

### QUAE CORPORIBUS INCISIS PATENT.

Cadaveribus hâc febre absumptorum scalpello patefactis, viscera parum sana reperiuntur.

Conjicio tamen ea vitia febrem intermittentem saepius et potius consequi quam facere.

Ventre inciso, multum laticis ejus membrane intus subesse conspicitur; saepius

viridis. Humor quoque, aliquanto purior pectori, imo vero cordis ipsius capsulae insidere invenitur.

Jecur grandius est, quam fert natura; induruisse videtur, et colore minus saturo praeditum est.

Lien fere semper amplificatur; lienem conspexi hâc febre vitiatum, qui complures lobulos sibi praetulit, amplior simul; alias integer. Haud raro membrana quâ cingitur, hic illuc quasi in cartilaginem vertitur. Raro pancreas corruptum inveni; interdum amplificatur, fabrica interiore parum mutata.

Ventriculus et intestina nil insoliti exhibent, nisi quod iis vasa praeter solitum rubent.

## DE PROGNOSI.

De eventu judicare futuro licebit, perspectis aegri aetate, corporis indole, ratione loci, temporis; quamdiu febris perstiterit, et signa acerba an levia torsissent.

In bonâ spe est, cui accessiones temporis legem servant, nec signis vehementioribus stipantur; cuive cutis efflorescit, aut ulcera apparent circa labra et aures, labiumve superius, accessione finitâ, tumet. Salvus est quoque futurus, cui, accessione jam praesente, sanguis e. naribus profluit, et urina, eadem decadente, crassa et multa fluit; et ex eâ cadit rufum aliquod et lateribus tritis simile.

Is contra periturus est, certeve periclitatur, cui venter ex alterutrâ parte intumescit et indurescit; cuive aqua intercute membra

tument, aut venter diro hydrope; aut cutis flavet, vultusve luridus collabitur. Haec enim mala valetudinem fractam arguunt. Malum est denique, si vires labantur, et accessiones diutius perstare, et maturius redire cooperint. In praecipiti quoque versatur, cui hâc febre aegrotanti simul intestina dysenteriâ exulcerantur.

### DE RATIONE MEDENDI.

Inter medicinam faciendam, non raro homines plenos, validos et vegetos febre intermittente laborantes curamus. His aliquando sanguinem, ictâ venâ, detrahere opus erit. Multo saepius autem id optimè arteriâ temporis incisâ efficitur; quoniam vasa capitis potissimum concitantur. Vacuefacere venas omnes, uti non opus est, ita pernicie insigni non vacaret.

Ineunte hac febre, ventriculum remediis, quae vomere faciunt, solicitare oportet. Dein alvus acriter purganda, nec semel tantum, at saepius. Nec raro alvi dejectione, praecipuo auxilio, salus reducitur: cujus rei plura exempla vidi.

Proximum est, ut ea remedia concedantur, quae ardores accessionis sedent, et notas molestiores mitigent, eoque accessionem contrahant; deinde, ut, finita accessione, medicus summa ope nitatur recidivam praecavere.

Urgentibus ardoribus eadem sunt ministra, quae omnibus pene febrentibus convenient.

Accessio jam instans, id est horroris et frigoris sensus, medicamento ingestu e tincturae opii gtt. xxxv. et aetheris sulphurici 3ss. confecto arceri poterit. Hoc dandum erit,

simul atque languor animorum et corporis et unguis liventes accessionem mox venturam arguunt. Quod si dorsum jam frigere incepit, accessio prohiberi non poterit, aliquanto levior sanè. Hoc medicamentum valere usu docemur. Eo porro mature concedendum, quod raro nauseam et vomitum excitat, si satis cito adhibeatur. Quidam ad eundem finem vomitum movere solent, qui frequenter valde nocet: ventriculum enim infirmat, et irritabilem, eoque corticis cinchonae officinalis retinendi impotentem reddit.

Siquidem aqua frigida summo corpori affusa febre continente implicitos persaepe expedivit, nonnulli eādem hac febre tentatos, accessione jam saeviente, sanare conati sunt; quae parum respondit. Nec ratio obscura. Plerisque hac febricitantibus viscera corrumpi solent: aqua frigida igitur, quippe quae sanguinem intus impellit, obsit necesse est.

Simili de causa, aqua frigida lavari domum ab India reversis nocet.

Quoniam oxydum arsenici admodum a medicis compluribus celebratum fuit, idem saepe expertus sum; quali eventu, nunc memorabo. Frequenter infantibus concessi guttas tres, quatuor aut sex arsenitis potassae soluti, ter indies. Amplius nunquam dedi. Interdum febrem fugare videbatur: nec vero non mihi persuadetur hoc remedium parvi esse faciendum, et laudibus acceptis indignum. Mihi contigit testari pessima mala eodem parce accepto exorta; et adultis ipsis nunquam amplius guttas xxx. intra unum diem praecipere solebam.

Anno MDCCCIX hoc remedium aegris ministrare coepi. Primo guttas v. ter quotidie adultis ingessi; mole dein sensim auctâ, dum aeger guttas xxx. indie sumeret. Cuidam, qui octo dies idem acceperat, et eo

tempore guttas clxxxvi. voraverat, lingua resoluta fiebat; et postridie artus, praesertim brachia, idem malum subibant; nec alium effectum notavi. Alii, decimo die ex incepto hoc auxilio, cujus guttae ccxxx. sumptae fuerant, artuum et linguae resolutio quoque supervenit. Utrique vultus intumuit, et os ad sinistriorem aurem tortum ferebatur, sine dolore. Nihil aliud boni aut mali exortum est. Scire licet, quot guttae hujus medicamenti darentur, tot tincturae opii adjectas fuisse; quae nauseam praecavit, ut opinor. Subinde arsenicum, opio non adjuncto, gravem nau- seam et vomitum ciere cognovi. Conjicio igitur multo magis id nocere quam juvare; et vix, nisi peritissimo et cautissimo ministrante, utendum esse; ne occidisse, nisi servassemus, videamus.

Cinchonae officinalis corticem auxilio valentissimo esse apud omnes medicos convenit. Comperi eum febrem intermittentem omni-

gena formâ donatam sublaturum esse; vel ubi arsenicum nihil omnino profuerit. Semidrachma ejus concreti et triti, granis decem pulveris lauri cinnamomi mista, secunda aut tertia quaque hora rite conceditur; idque, ubi accessio jam desierit. Si ventriculus non respuit, moles augenda est; et copia amplior sexta parte horae ante proximam accessiōnem ingesta eandem saepe praecavebit. Si cortex concretus minus ventriculo convenit, satius erit dare aquam, ex quâ decoctus est; aut ejus extractum, accedente quovis arome. Videndum erit, ut alvus soluta habeatur. Hunc in finem pauca grana pulveris rhei palmati aut aloës ingerenda sunt. Si inde tormina moveantur, pauxillum opii rite accedit.

Vinum cinchonae valde auxiliatur: imo vero ipsum per se aliquando has febres sanavit. Quibusdam equidem aegris injucundum est: aliis res familiaris angusta id denegat.

Si aeger accessionem jam instare sentit, oportebit, semidrachmam cinchonae, spiritus Galli sesquiuncia mistam, devorare. Nec celandum febrem intermittentem aliquando pertinacem cinchonae obniti; idque visceribus integerrimis, ut videtur. Si res ita se habeat, pilulae ex hydrargyro confectae tamdiu sumptae, ut salivâ os scateat, cinchona simul non praetermissâ, paucis diebus salutem reducent. Ubi hae febres inveteratae jecur corruperint, et ampliaverint, pilulis jam dictis unguentum hydrargyri accedere debet. Oportet cutem circa jecur semidrachmâ hujus unguenti camphorâ imbuti bis die illinere; quod plurimum opitulari comperi.

Plures cognovi febre intermittente pessima et inveterascente confectos, hac curatione penitus sanari; praecipueque milites, qui proeliis et aliunde fatigati, domum ab Hispania reversi erant, quo hac febre expiderentur.

Cortex cinchonae decem, duodecim, aut quindecim dies post omnia febris indicia sublata, adhiberi debet; ne recidant mala.

Jam convalescentem oportet cibo concoctu facili et satis alituro vesci, quotidie ambulare, equitare, aut curru vehi, et coelum puriore mutare. Solum patrium caeteris antecellit, ni paludibus sit grave; quippe quod animum recreabit; ideoque corpori vires conciliabit.

FINIS.

## ERRATA.

Pag. 2. lin. 10. *Post* equidem *insere* qui accolunt

11. 18. .... marcuisse .... cognovi

14. 12. *Pro* subierint *lege* subierit

15. 1. .... balnea .... balneo